

et pertinet adhuc ad capellam, quod etiam testes infrascripti bene audiverunt dici, prout fuerant protestati.

7) Item sepefati domini Everhardus et Wilhelmus retulerunt, quod semper capella predicta et reclusorium ex antiquo habuerant ortum usque in presentem annum. Et ad ortum predictum dominus Henricus prenominate dixit se habuisse et adhuc habere clavem. Et erat ortus in longitudinem et latitudinem triginta pedum vel circa. Qui ortus esset destructus in presenti anno per proconsules et consules civitatis Tremoniensis, quod cunctis esset manifestum.

8) Item sepedictus dominus Henricus publice protestatus fuit et confessus, quod murus est factus et ductus de reclusorio ante et ultra domum predictae capelle de lapidibus illis, qui pertinebant ad dictam capellam, quos lapides dicti proconsules et consules Tremonienses sine consensu suo ad murum predictum vertebant. Quod etiam domini Everhardus et Wilhelmus secum dixerunt.

9) Item predicti domini Everhardus et Wilhelmus dixerunt ac fuerunt protestati, quod capella predicta habuit formam et faciem lapideam bene ornata et fundatam ad modum templi alterius usque in presentem annum et versa fuerat in partem occidentalem; quod etiam secum sepedictus dominus Henricus dixit. Que facies seu forma esset destructa per proconsules et consules Tremonienses. Et quod turris ex eadem parte occidentali aperta erat ex antiquo propter audiendum eo melius sonum campanarum. In qua parte turris sic aperta factus est murus cum camino per proconsules et consules sepefatos.

10) Item protestatus fuit ac confessus sepedictus dominus Henricus, quod claves ad capellam, reclusorium necnon domum predictas spectantes et ad campanas sibi tradite ac presentate fuerint et quamplures alie claves de domo domini Tidemanni de Haghen sui predecessoris. Quod dominus Thomas predictus secum confirmavit omne fore verum.

11) Item sepedictus dominus Henricus fuerat confessus, quod invenit in capella sancti Benedicti predicta quendam sexternum, in quo scriptum erat, quomodo et qualiter capella et domus predictae fuerant constructe extra civitatem Tremoniensem et multa alia.

12) Item dominus Henricus sepefatus dixit, se pro dedicatione capelle ac altaris sanctorum Petri et Iohannis ac reclusorii necnon pro melioratione quo ad edificacionem totius capelle sancti Benedicti et domus predictae sexaginta marcas Tremonienses de bonis suis ac aliorum elemosinis expendisse. Et si vixerit adhuc, dixit, se velle per Dei gratiam easdem meliorare. Quod totum fecit in honorem et laudem sancti